

collatum sit *χάρισμα*: est manuum impositio. IV. Causa ministrans est presbyterium.

§. VII.

*IN PRIMO MEMBRO* complet Paulus admonitionem, cujus initium fecit I. Tim. I, 3. dicens: *Sicut rogavi, ut permaneres Ephesti, quum proficiscerer in Macedoniam, ut denunties quibusdam, ne diversam doctrinam doceant. v. 4. Ne attendant fabulis & genealogiis infinitis, quae potius quaestiones praebeant, quam edificationem DEI, quae est per fidem.* Hanc sanam doctrinam repetit sequentibus versibus per caput I. 2. & 3. Et quod commendavit cap. I. v. 18. illud etiam jubet cap. III. v. 14. 15. *Hac tibi scribo, sperans, fore ut mox ad te veniam. Quod si tardavero, ut noris, quomodo oporteat in domo DEI versari.* Post insertas admonitiones de sana doctrina cap. IV. v. 6. *Hoc si subjeceris fratribus, bonus eris minister JESU Christi &c. v. 7. profanas & aniles fabulas rejice. v. 11. Hac denuncia & doce. v. 12. Nemo tuam juventutem contemnat. v. 13. Interim dum venio, intentus esto lectioni, exhortationi, doctrinae, & tandem v. 14. Ne neglexeris donum, quod in Te est &c. Eadem repetit v. 15. 16. cap. V. v. 7. cap. VI. v. 10.*

§. VIII.

Hoc publice fieri voluit, quod v. 13. ἀνάγνωσις vocabulum indicat. Ut probat D. Franzius de interpretatione Scripturae Sacrae orac. S. LXXXVI. ex Act. XIII. v. 15. Post lectionem legis & Prophetarum, inquit, (nimirum in templo per Sabbathum factam ibid. v. 27.) miserunt principes Synagoga ad eos dicentes: *Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem dicite. Aderant in Synagoga Apostoli praesentes ac forsanti tali vestitu, unde Apostolos illius temporis agnoscebant, itaque ad ipsos ibi praesentes post publicam praelectionem miserunt, ipsis hoc obtulerunt & rogarunt, num post praelectionem publicam absolutam,*  
aliquid